



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.  
vsque ad CXIV.

**Vázquez, Gabriel**

**Antverpiæ, 1620**

Verior sententia. c. 6.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

modo loquendi, Pater dignior, seu excellentior est filio, vel maiorem, quam filius habet auctoritatem, quamuis aliqui dicant vnam personam esse dignitate priorē alia, vt infra disput. 16. 8. videbimus. Non ergo debuit Clithoueus concedere esse principalem, seu perfectiorem modum subsistendi vnius personæ, quam alterius; quia hæc verba non prioritatem originis, sed maiorem dignitatem, & excellentiam personæ significant. Ex quibus etiam constat testimonio illo Damasc. 1. de fide, cap. 9. nihil probari, contra id, quod cap. 2. diximus, nempe relationes personales ad perfectionem Dei pertinere.

CAPVT VI.  
Verior sententia.

**M**ulto verior opinio est, relationem personalem esse quidem perfectionem Dei, & tres relationes realiter distinctas ad perfectionem ipsius pertinere, sicut probatum est, cap. 2. non tamen esse tres perfectiones reales, etiam si relationes, nec aliquam perfectionem realem esse in vna persona, quæ non sit in alia; quæ sanè sententia, si rectè à nobis explicetur, difficultatesque aliquæ illius explanentur, multo magis sincere, & dignè de personarum perfectione, & æqualitate loquuntur, quam præcedentes. Eam sequuntur Canariensis in hunc art. disputatione 7. p. 2. in argum. post quartam conclusionem, Maior in 1. d. 33. q. 1. ad 2. & ex parte Caietanus, vt infra referemus, duas vero habet partes, vna est, relationem personalem ad perfectionem Dei pertinere; hæc autem satis probata est contra primam sententiam, cap. 2. huius disputationis, in qua cum Gabriele & alijs, qui secundam sequuntur, conuenimus: altera est, has tres relationes reales in Deo non esse tres perfectiones; ac proinde non sequi, aliquam perfectionem esse in vna persona, quæ non sit in alia; quæ, vt magis fiat perspicua, proponenda est contra eam ratio, quæ illi magis videtur ob stare, in hunc modum. Quælibet relatio, prout ab essentia distinguitur, est verè relatio realis, ac proinde ens reale, multiplicato autem inferiori, multiplicatur superior; ergo, si sunt tres relationes reales realiter distinctæ, erunt etiam tres res, seu tria entia, seu tres entitates; atqui perfectio, seu bonitas est etiam prædicatum superioris, ergo illa quoque erit triplex. Hinc vero manifestè sequitur, perfectionem aliquam, esse in vna persona, quæ non sit in alia, sicut supra cap. 4. dicebamus.

Huic difficultati respondent Canariensis, & Maior loco allegato, esse quidem in Deo tres relationes reales realiter distinctas, non tamen tres perfectiones; quia multiplicatio in Deo fit solum per relationam oppositionē; perfectio autem non est nomen relationum, sed absolutum, sicut bonitas; ergo non debet multiplicari, multiplicatis relationibus. Hinc colligit Canar. tres relationes in Deo esse vnicam perfectionem realem, sicut sunt vna essentia; hoc autem non videtur difficilius, quam concedere tres relationes realiter distinctas in eadem numero natura, & multiplicari relationibus, non multiplicata natura, quia in relationibus est oppositio, quæ sola est causa multiplicatio; in essentia vero nulla est, neque in bonitate & perfectione. Quod si hoc modo rectè ostendatur, tres relationes esse vnam solam perfe-

ctionem, sequitur apertè nullam esse in vna persona, quæ non sit in alia. Hoc eodem modo Philosophantur Caiet. 3. par. q. 3. art. 1. de diuinis personalitatibus, vt cap. 1. huius disputationis notauimus, cum inquit, eas quidem esse infinite perfectas, sicut sunt personæ, quia sunt subsistentes, sed esse vnicam tantum in eis perfectionem, nempe. sententiæ; & ita non sequi, quod contendebat Scotus, videlicet esse vnam perfectionem in persona, quæ non sit in alia.

Hæc tamen explicatio, & doctrina difficultatem propositam non tollit; quoniam si relatio, quatenus ab essentia distincta, in nostra præterit opinione, quæ dicit conceptum essentia non esse de conceptu relationis, vt præcedenti disputatione diximus, est res quædam & entitas; & sicut dicuntur tres relationes realiter distinctæ, tres res: fit, vt etiam hac ratione relatio quæcumque sit perfectio distincta ab essentia: sicut ergo dicuntur tres relationes, dicuntur tres perfectiones & bonitates, siquidem multiplicato inferiori multiplicatur etiam superior, & sicut res est superior relatione, sic etiā bonitas, seu perfectio, quæ est passio entis & rei. Quare quamuis tres relationes sint idem secundum rem cum essentia, & eadem secundum rem cum illa habeant perfectionem; quia tamen hæc identitas nihil obstat, quominus dicantur tres relationes realiter distinctæ, non obicit, quo minus dicantur tres etiam perfectiones; cum formaliter quælibet sit perfectio, & non includat perfectionem essentia. Præterea ratio Canariensis, parum roboris habet, videlicet idè esse tres relationes realiter distinctas, quia multiplicatio fit secundum oppositionem relationum; idè autem non esse tres perfectiones, quia perfectio est quid absolutum, & secundum absolutum non fit multiplicatio; hæc ergo ratio in se firma est, quoniam perfectio non est, quid absolutum, sicut nec res, aut ens, sed est commune absolute & respectiuo, quod appellamus transcendentem, & multiplicari potest multiplicato inferiori; alioquin non possemus dicere, in Deo esse tres res, aut tria entia, quia non minus abstrahitur à relatione & absolute perfectio, & bonitas, quæ sunt passio entis, & rei, quam ipsom ens, & res.

Vtigitur hanc difficultatem explanemus, obseruandum est primo, bifariam posse perfectionem usurpari, vno modo pro integritate rei, in qua consistit formaliter ratio bonitatis, quæ constituitur passio entis, vt monstrauimus disput. 23. c. 4. sicut etiam res dicitur perfectæ, & bona, quæ integra est, de qua multa in ea disp. diximus. Altero modo perfectio dicitur, quidquid ad integritatem alicuius pertinet, & ipsum integrat, & perficit, vt consentaneum & conueniens; hæc autem non ponitur passio entis, vt ibidem cap. 2. ostensum est; nec enim conuenit omnibus rebus respectu omnium: nihilominus cum nihil sit in Deo, quod ei non maximè conueniat, nihil erit, quod non sit perfectio illius hoc posteriori modo.

Secundò ad hoc, vt aliqua sit perfectio realis priori modo, satis est esse integritatem rei alicuius existentis; nec oportet à re, cuius est integritas, distinguere ex natura rei; nam bonitas, quæ est passio entis sola ratione differt ab ente, cuius est passio, vt eisdem cap. 6. probauimus. At vero, vt aliqua sit perfectio realis alicuius rei posteriori modo

Caietan.

19.

Solutio hæc & doctrina respicitur.

20.

Duplex perfectio acceptio.

Ad priorem perfectionem non requiritur distinctio realis, requiritur vero ad posteriorem.



215 necesse est, ab ea suapte natura distingui; quia eo est perfectio illius, quod illam perficit & integrat: nihil autem seipsum realiter perficit, sicut nihil seipsum realiter constituit; Ergo id, quod perficit & integrat, ab eo, quod perficitur & integratur, debet suapte natura distingui. Quare si aliquid solum perficit aliud nostro modo intelligendi, hoc etiam solo modo erit perfectio illius. Sed dices, si id, quod ab alio distinguitur, illud perficere potest, multo magis poterit id, quod magis intimum alicui est, & minime ab eo differt, ipsum perficere. Respondeo, hoc solum probari, illud, quod ab alio sola ratione distinguitur, magis participare integritatem illius, & perfectionem priori illo modo; perfectionem tamen posteriori modo nequaquam; quia, ut si perfectio eo modo, debet actu perficere, ad hoc autem opus est, differre ab eo, quod perficit.

*Obiectio contra vltimam partem.*

*Soluitur.*

*Prior integritas vna tantum est in vnaquaque rei.*

*Ratio ob quam in Deo sit vna perfectio sumpta pro integritate.*

22.

Tertio præmittendum est, cuiusque rei, quantumvis ex diuersis integretur & perficiatur, esse vnam tantum integritatem & perfectionem, quæ ponitur passio illius, nam sicut ex pluribus fit vnū totum, sic etiam fit vna illius integritas.

Ex his patet, quo pacto in Deo sit vna perfectio, & quo pacto plures, & vtrum relationes sint plures, an vna perfectio. Primum si de perfectione, quæ est passio entis, & idem est, quod integritas rei loquamur, sequitur in Deo vnam tantum esse perfectionem, quia vna solum est integritas: omnia enim, quæ in Deo sunt, nostro modo intelligendi siue attributa, siue essentia, siue relationes, ad hanc integritatem, & perfectionem, seu bonitatem pertinent. Quare, ut dicebamus disp. illa 22. cap. 8. non solum in Deo est attributum bonitatis moralis, id est, rectæ & iustæ operationis; verum etiam est attributum bonitatis, quæ respondet bonitati entis communissimæ, & tam hæc, quam illa vna est; quâvis autem quælibet relatio, seu persona, per se dicatur res, & tres relationes, tres res in Deo dicatur; non tamen dicuntur tres bonitates, & perfectiones, quia omnes hæc sunt idem cum vna essentia, cum qua vnum integrant Deum & perficiunt; ex quo & vna solum integritas resultat. Et quamvis in rebus creatis compositis ex pluribus rebus distinctis sint plures perfectiones, sicut etiam integritates, quas vocant partiales, in Deo tamen esse nequeunt, quia omnia cum essentia sunt idem ex natura rei, & relationes, quæ sunt modi existendi, ita inter se distinguuntur, ut cum essentia sint idem, ac proinde nõ habeant aliam integritatem præter illam, quam cum ipsa constituunt.

*Ratione probatur tres relationes non esse tres perfectiones posteriori eisdem modo.*

23.

Deinde, si de perfectione loquamur posteriori illo modo, ut in prima notatione dictum est, non sunt in Deo tres perfectiones reales, sed tres solum perfectiones secundum rationem, tamen si tres reales relationes realiter distinctæ necessario sunt concedendæ: hoc planè sequitur ex secunda notatione, ut enim aliquid sit realis perfectio alterius debet ab eo natura rei distingui, relatio autem non distinguitur hoc modo ab essentia: ergo nõ est realis perfectio illius posteriori illo modo. In sententia quidem Scoti, qui inter relationes & essentiam constituit distinctionem ex natura rei, negari non possunt tres perfectiones reales essentia diuinæ; nam relationes reipsa perficerent essentiam, si ab ea eo modo distinguerentur; at in nostra opinione, qui disp. 120. diximus sola ratio

ne differre, necessario certè sequitur, non esse tres perfectiones reales essentia diuinæ, sed solum esse perfectiones secundum rationem; quia sola nostra ratione cogitantur, ac si perficerent essentiam, in qua sunt, cum reipsa eam non perficiant, sed sint idem cum illa. Neque vero rectè colligitur sic; Sunt tres reales relationes realiter distinctæ, ergo tres reales perfectiones hoc posteriori modo, etiam si multiplicato inferiori multiplicetur superius; tum quia perfectio hoc modo, non est passio entis, & quid superius relationibus, ut in notatione dictum est; tum etiam, quia, ut dicuntur tres relationes reales realiter distinctæ, satis est, si inter se mutuo opponantur, & referantur natura sua, ex hoc enim respectu multiplicari dicitur relatio, etiam si cum vna essentia sint omnino idem ex natura rei: at vero, ut dicuntur multiplicari perfectiones reales, necesse est, ipsas distingui realiter à re, quam dicuntur perficere, inde enim perfectio dicitur realis hoc posteriori modo.

Quod si dicas, saltem erunt tres perfectiones priori illo modo, quatenus perfectio, & bonitas est passio entis, & tunc rectè colligetur, quia multiplicato inferiori, superius debet multiplicari, respondetur, adhuc non sequi, quia licet perfectio priori modo sit superior relatione, aliud tamen requiritur, ut multiplicari dicatur perfectio, quam relatio: hæc enim dicitur realis, non quia distinguitur reipsa ab eo, cui inest, sed quia refertur sua natura ad terminum realem, & inde multiplicari dicitur, at perfectio non potest multiplicari, nec priori, nec posteriori modo, quando relationes illæ, vel tres illæ res sunt idem cum aliqua alia re, sicut sunt relationes diuinæ cum essentia, quod lænè mirabile, & singularissimum est. Nam perfectio priori modo, quæ est passio entis, est integritas rei, ubi autem tria sunt idem realiter cum aliquo tertio, non dicuntur habere tres integritates reales, sed vnam constituere. Quod si aliquis vrgeret nos forma illa arguendi, Multiplicato inferiori debet multiplicari superius, &c. Respondemus, eam esse bonam formam arguendi, quando non variatur appellatio, ut loquuntur Logici: hic autem variatur, nam cum dicimus sunt tres reales relationes distinctæ realiter, vox realis, ita afficit relationem, ut illa dicatur realis, & distincta realiter, ex eo solum, quod natura sua refertur ad terminum realem, at cum dicimus perfectionem realem, certè vox illa, realis, denotat perfectionem illam esse integritatem illius perse, & distincta a qualibet alia, quod non contingit in relationibus diuinis, quæ cum idem sint ex natura sua cum essentia, vnam cum illa constituunt integritatem, secundum rem. De perfectione vero posteriori modo idem satis constat; nam cum dicitur perfectio realis, significatur distinctio à reipsa, quam perficit, quæ in relationibus diuinis respectu essentia non reperitur; cum vero dicitur realis relatio, solum denotatur respectus realis ad terminum realem, non autem distinctio ab eo, in quo est relatio, & idè multiplicata relatione dicitur multiplicare res, non tamen perfectio.

Sed obseruandum est, quamuis relatio non sit perfectio realis essentia, ut eisentia est, nec tres relationes dicatur vilo modo tres perfectiones reales, ad perfectionem tamen Dei in persona subsistentis relationes pertinere, sicut attributa ad perfectionem essentia secundum se, ut cap. 2. dicitur



est, non alia ratione, nisi qui ita ad perfectionem Dei pertinet, esse secundum, sicut esse sapientem: sed trinitas personarum, in quibus attenditur fecunditas non facit trinitatem perfectionum. Ex quo etiam fit, ut perfectio, & integritas, quae consideratur ex parte essentiae secundum se, praerintelligatur personis, sed quae consideratur in Deo, ut substituenti in personis, non intelligatur prius, quam persona.

CAPVT VII.

Corollaria precedentis doctrinae.

EX praedicta doctrina colligitur primo, non esse in vna persona aliquam perfectionem realem, nec priorem, nec posteriori modo, quae non sit in alia, quia licet in vna persona sit relatio quadam, quae non est in alia, illa tamen non est perfectio realis, nec prior, nec posteriori modo, sed solum est perfectio secundum rationem posteriori illo modo, quia nostro modo intelligendi, sicut intelligitur distincta ab essentia, ita etiam concipitur tanquam perfectio illius, ut probatum est. Deinde non est perfectio Dei priori illo modo sumpta pro integritate, sed est, quid pertinet ad illam integritatem, nostro modo intelligendi: dico nostro modo intelligendi, quia cum sit ipsa essentia, non est, quid pertinet ad illius integritatem, tanquam quid ab ea distinctum.

Sequitur secundum, vnam personam non esse perfectiorem, nec digniorem alia, etiam ratione personalitatis, non dico maiorem in sensu Graecorum patrum, hoc est, priorem; sed dico digniorem, seu perfectiorem: est enim perfecta inter eas aequalitas dignitatis, quia, ut vna esset dignior reliqua, quam alia, deberet habere in se aliquam perfectionem realem maiorem, quam alia; at hoc non contingit, ut probatum est; ergo vna non est perfectior, quam alia, quia tamen in vna est aliqua perfectio rationis, quae non est in alia, hinc tantum fit, ut a nobis concipiatur, ut dignior, quam alia, sed non asseramus, vnam esse perfectiorem, quam alia; quia id, quod conuenit ei solum per apprehensionem intellectus, non debet de illa simpliciter enunciari.

Tertio sequitur, quid dicendum sit de vnitae, & veritate, quae etiam sunt passiones entis: an in Deo sint dicendae tres vnitates, & tres veritates, sicut dicuntur tres relationes. Nam de bonitate, quae ponitur passio entis, idem dicendum est, quod de perfectione, ut superiori capite probauimus. Ricard. in primum d. 2. art. 1. q. 3. ad primum, putat tres veritates, aut tres vnitates non esse concedendas: Ego tamen existimo, si absit scandalum, & recte intelligatur, quod dicitur, secundum proprietatem sermonis dici posse esse in Deo tres vnitates, sicut dicitur esse numerus ternarius, caute tamen loquendum esse admonet Bernard. lib. 3. de consideratione, ante medium, ubi sic ait. Cum sint tres personae, quis numerum negat? nam verè tres sunt, quis numerat tamen? nam verè vnum sunt. Quibusdam vero interpositis, quibus docet, non debere numerari personas, quae non sint vna natura, & essentia, subdit. Dicamus itaque tres, sed non ad prauidendum vnitatis, dicamus vnum, sed non ad confusionem Trinitatis. Et in Concil. Remensi, cui Bernard. intercedit, in decretis illius, quae supra retulimus, sic dicitur. Credimus solum Deum Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum aeternum esse, nec aliquas omnino res, siue

relationes, siue proprietates, siue singularitates, vel vnitates dicantur, vel alia huiusmodi ad esse Deo, quae sint ab aeterno, & non sint Deus, ubi non refugit Concil. concedere tres res, tres singularitates, tres vnitates, dummodo dicamus, eas esse idem omnino cum essentia, & ipso Deo; sicut testimonio proximè citato dixit Bernardus, non esse numerandas personas, quae non sint ipse Deus, & quidem numerum in Deum esse ponendum probabitur articulo sequenti in explicatione illius.

De veritate autem distinguendum est, nam est quaedam veritas in dicendo, & haec vna tantum est in Deo: est enim attributum essentiae, sicut est sapientia, alia est veritas, quae ponitur passio entis, & cuilibet conuenit rei, & hanc existimo multiplicari multiplicatis rebus. Paternitas ergo, sicut est entitas, habet suam veritatem, quae nihil aliud est, quam extrinseca denominatio per respectum ad intellectum potentem verè de illa iudicare, ut disputat. 77. cap. 4. notauimus, quia ergo intellectus potest verè iudicare in Deo esse tres reales relationes, aliam paternitatem, aliam filiationem, aliam processionem, easque realiter distinctas, ideo tres sunt in tribus relationibus veritates.

Quarto inferitur ex dictis, quid de infinitate dicendum sit: haec enim non est passio entis, ut constat, sed videtur esse propria Dei. Dico ergo, tres infinitates in Deo non esse concedendas, quoniam infinitas Deo multis modis conuenire potest. Prima infinitas in genere entis est, quae ponitur proprium attributum essentiae ab alijs distinctum, de quo diximus satis superque disput. 25. cap. 5. & haec vna solum est in tribus personis; idem est enim infinitum hoc modo, quod non habens causam secundum esse, personae autem sunt infinitae hoc modo, sed ratione essentiae, à qua ex natura sua non distinguuntur, nam hoc habere causam, non consideratur formaliter ex parte proprietatis, sed ex parte essentiae: imò, ut dicebamus disput. 1. c. 7. & 121. c. etiam 8. proprietates, & attributa nec considerantur, ut finita, nec, ut infinita, hoc modo, quare ens ab essentia à nobis distinguuntur, sed solum dicuntur infinita ratione essentiae, cum qua sunt idem: formaliter vero in seipsis nec ut finita, nec ut infinita considerantur, ob id tamen non asserimus, ipsa esse finita, ut ibidem notauimus.

Secundum genus infinitatis est, non in genere entis, sed in proprio & peculiari genere, ut sapientia dicitur infinita, quia versatur circa infinitum obiectum, misericordia similiter, quia versari potest circa infinitum potentia eodem modo de quo genere infinitatis, quae multis attributis conuenit, diximus disput. 103. cap. 2. & haec non conuenit relationibus formaliter; quia non videmus, quam infinitatem habeat ex parte termini, ad quem referuntur, nisi infinitatem entis, de qua primum diximus: haec autem conuenit relationibus ab essentia, cum qua sunt idem, non aliud, nec ex seipsis formaliter nostro modo concipiendi, quare nec hoc secundo modo erunt tres infinitates.

Tertia infinitas Dei est immensitatis per ordinem ad locum, & haec conuenit re ipsa relationibus, quia replent omnem locum, sed eis conuenit ratione essentiae, cuius proprium attributum est immensitas, & ideo sunt, & intelliguntur ubique esse, quia sunt idem quod essentia, idcirco nec hoc tertio modo sunt dicendae tres infinitates, alioqui dicerentur tres immensitates, quod est contra symbolum

Veritas sumpta pro passione entis quomodo in Deo multiplicatur.

28.

Tres relationes non sunt tres infinitates in genere entis.

29.

Nec in proprio genere infinitate sumpta ex obiecto.

Nec infinitate immensitatis.